ΠΑΡΑΞΚΕΥΗ'

Siue

PRÆPARATIO

Ad

Pacificam decisionem controuersiarum

de solius Sanctæ Trinitatis religioso cultu; De Apostolica Episcoporum ordinatione; Deq; obedientia debita legitimis Regibus cuiuscunq; Religionis.

Ad

Clarissimos, Doctissimosq; viros Decanum, & Theologos celeberrimæ Ingolstadiensis Academiæ.

Per

IOAN. GORDONIVM, humilem Theolo.
Doctorem, & Ecclesiæ SARISBVRIENSIS *Decanum Scoto-*BRITANNVM.



LONDINI
Excudebat THOM. SNODHAM, Impensis
Nathanaelis Butter. 1612.



IOAN. GORDONIVS

humilis Decanus SARISBVRIENSIS Decano & Theologis Ingolſtadienſibus *Conuerſionem ad Catholicam, Apoſtolicam, &* antiquam Romanam fidem; & Anonymo conuiciatori *ſuo reſipiſcentiam a Deo Patre per* IESVM CHRISTVM *humilimis votis precatur.*

NON adeo pridem (viri Doctiſſimi) ad noſtras manus peruenit libellus permiſſu veſtro editus, cuius author ſuum nomen reticuit, quod eum feciſſe eſtimo, vt fugitiuo ori liberior maledicendi campus pateret, in quem ego in præſentiarum Ciceronis dictum ſolummodo contorqueo: Nempe, is maledicit qui non poteſt ab altero verum audire.

Si maledicta & virulentæ contentiones indignæ ſunt Philoſopho, vt idem ait, multo magis Theologo deteſtandæ ſunt; Vobis incumbit proſpicere ne quid veſtri Alumni contra bonos mores & Chriſtianam modeſtiam committant: Ego vt Chriſtianum decet,

omnem aduerſario maleuolentiam & maledicentiam condono, vtq; Deus illi ſaniorem det mentem enixè rogo.

Mirum tamen mihi videtur vos tam prudentes viros librum ridiculo Tonſuræ titulo edi permiſiſſe, quum vobis ſatis perſpicuum ſit Romanos Sacerdotes tonſura initiari, adeo vt deriſor noſter, veſtram & ſuam eadem Charta Religionem derideat. Si vos Sacramenti veſtri profanationem impune Tonſori noſtro permiſeritis, nobis leuiuſculum erit tale deridiculum, quod noſtram religionem non tangit, ſed meum ſolummodo nomen perſtringit, æquo animo tolerare.

Quod ad libellum attinet, Tota eius tractatio ad duas præcipuas partes redigitur; Quarum vna ſalſis dicterijs, conuicijs, & ſannis noſtrum nomen Catulliano & verè Canino ſtylo proſcindit, dilaniat, diſcerpit, meq; totum Ethnico more diris deuouet. Caput primum libri primi, ſoluta oratione conſcripti, & liber ſecundus carmine exaratus, in maledictis & contumelijs perſonant, & ferè reboant.

Secundum verò Caput libri primi, duodecim imitationes *Iuliani* Regiæ gubernationi, & Angliæ noſtræ praxi mendaciter & calumnioſè imputat. Capita verò ſequentia, nempe, 3.4.5.6.7.8. infra ſcriptas concluſiones habent, poſt quæſtiones propoſitas.

1 Primo. Chriſtum ſuper perſonam *Petri* Eccleſiam fundaſſe.

2 Reges Pontificibus ſubditos eſſe.

3 Chriſtianos antiquæ Eccleſiæ *Neronem* deponere

ponere iure potuisse, aliosq; persecutores si virium facultas id perficiendi illis fuisset.

4 Orthodoxos Christianos in Arrianos Imperatores, & *Iulianum* Apostatam idem ius habuisse.

5 Papas iure posse hæreticos reges deponere, & iuramenta illis præstita dissoluere.

6 Serenissimum nostrum Regem non esse defensorem antiquæ Catholicæ fidei.

Quia in Theologica tractatione salsis dicterijs & conuicijs non est agendum, sed authoritate Scripturarum & Patrum antiquæ Ecclesiæ consensu, quid verum in quauis quæstione statuendum, mihi optimum factu visum est. Patrum Græcorum & Latinorum sententias, qui per mille á Christo annos vixerunt hisce aduersarij conclusionibus apponere: vt Christiani omnes veritatis amatores, antiquæ Catholicæ Ecclesiæ doctrinam amplectantur. At refutationem nostram in lucem edere distuli, donec eius nomen mihi innotuerit: Contra enim Anonymum disputare, nihil aliud est quám gladio aërem diuerberare, aut cum laruis luctari.

Indignum est, vt in tam celebri Academia, quisquam Theologus audeat suppresso nomine, religionis causas tractare; cum omnibus notum sit, subticentiam nominis, authorem in suspicionem vocare, eumque arguere, quasi illum pudeat causæ, quam defendendam suscepit.

Altera verò ex parte nulli dubium esse potest, vobis, quorum permissu editus est ille liber, authoris nomen satis cognitum esse; si ergo æquos iudices vos exhibere velitis, eius nomen indicare debetis, vt

comper-

compertum ſit cum quo nobis dimicandum. Vos ergo rogo viri graues,vt pro innata omnibus hominibus æquitate,aduerſarij nomen indicetis. Sin minùs, & illud ſupprimi volueritis,ego Dei, Regis & Eccleſiæ cauſam non deſeram, voſq; iudicabo hanc litem veſtram feciſſe; adeo vt aduerſus vos mihi in arenam deſcendendum ; quod mihi ſemper gratius optatiuſq; erit, quam cum ignoto viro, quem ſui nominis pudet,decertare.

Ingenuè fateor,ſi manibus & lacertis luctandum eſſet, vos tot homines, robore corporis pollentes, facile me ſenem & inualidum conculcare,& terræ poſſe collidere. At mihi adſunt comites in hoc literario certamine omnes Chriſtianæ veritatis Doctores & predicatores, qui in millena illa & longiſſima annorum periodo Chriſtianæ profeſſionis vixerunt, contra quos vobis luctandum.

Nos tamen lubentius εἰρηνικῶς, quam πολεμικῶς, hanc litem dirimi optamus ; Quod fieri nequit niſi vtrinq; noſtras opiniones deponamus , & Patrum Græcorum ac Latinorum, qui per decem a Chriſto ſæcula vixerunt, doctrinam amplecti velimus. Hinc mihi operæ pretium viſum eſt,eorum de Dei cultu & regum honore (quæ ambo B. *Petrus* coniungit) ſententias breuiſſimis Theſibus exponere quas ad vos mitto (viri Doctiſſimi) vt tot ſæculorum doctores in hiſce controuerſijs pro iudicibus acceptetis, enixeq; rogo , vt me certiorem faciatis,num illorum ſententijs ſtare velitis , tanquam iudicum omni ſuſpicione vacantium : Si vero id facere volueritis, polliceor me qua fieri poteſt celeritate, eorum

rum testimonia, quibus Theses nostras probare, σὺν Θεῷ speramus, ad vos missurum, non tam disputandi, quam pacis conciliandæ studio.

Interea (viri Clarissimi) vos rogo, hortorquè, vt solius Sanctæ Trinitatis adorationem & inuocationem, excluso omnium creaturarum religioso cultu, pro fide Catholica in vestra Academia, ad salutem animarum vestrarum recipiatis: Et vt legitimis Regibus cuiuscunq; religionis, obedientiam in rebus ciuilibus præstandam, & fidem iuramenti illis seruandam vos ipsi credatis, & celeberrimæ Academiæ vestræ alumnos in eadem doctrina, vt decet Christianos, instituatis. Quod vt præstetis, a Deo Patre omnipotente, per IESVM CHRISTVM filium eius coæternum supplicibus votis precamur. Sicq; Deus vobis fœlicitatem in hoc sæculo, & sempiternam beatitudinem in Regno suo cœlesti indulgeat. Valete in CHRISTO, viri clarissimi, Doctissimiq;.

IOAN. GORDONIVS,
Decanus Sarum.



Thesis I.



AD legitimum Episcopum Romanum aliumuè quemuis constituendum requiritur, primò vt ordinandus teneat veram fidem de inuocatione solius Sanctæ Trinitatis, exclusa omni creaturarum religiosa adoratione, quæ tempore *Gregorij* primi, circa finem sexti a Christo sæculi inclinare cæpit, a doctioribus tamen Episcopis vsq; ad finem decimi sæculi retenta est. Secundò vt ordinetur iuxta Canones Apostolorum & Conciliorum, qui Romæ in vsu communi fuerunt per 1180. a Christo annos, quod etiam cessauit temporibus *Alexandri* 3. Anno Domini 1180. iam dicto.

Illatio.

Papæ ergo a Temporibus Alexandri 3. *cum nullam habeant Canonicam ordinationem merè laici Principes & non sacerdotes debent censeri.*

Thesis. II.

CHRISTVS quatenus est ἀρχιποίμην & ἀρχιερεὺς nostræ professionis, limitatam potestatem a Patre

suo

ſuo accepit, nihil docendi aut agendi vltra ea quæ ſibi fuerant a Patre præſcripta; eandemq; limitatam poteſtatem S. *Petro* reliquiſq; Apoſtolis tradidit. Chriſtus verò eiuſq; Apoſtoli in rebus ciuilibus Imperatori,et eius præſidibus ſe ſubiectos agnouerunt.

ILLATIO.

Quando igitur Papæ haberent veram ordinationem, eſſentq; veri Vicarij Chriſti & ſucceſſores Petri, *ſequitur eorum poteſtatem non eſſe infinitam & illimitatam, vt Canonici iactitant; ſed debere eos imperatoribus & Regibus eandem ſubiectionem, quam Chriſtus et Apoſtoli Ethnicis principibus exhibuerunt.*

THESIS III.

VEri Epiſcopi Romani ab Apoſtolorum temporibus vſq; ad Concilium *Nicænum*, & poſt illud vſque ad *Gregorium* primum, nullum Epiſcopale ius prætenderunt in Eccleſiam & Regnum *Britanniæ*; Sed tempore *Conſtantini* magni & filiorum eius, iuriſdictionem in ſolam Prouinciam Romanam habuerunt.

ILLATIO.

Hinc inferimus Papas, qui vniuerſalis Eccleſiæ Epiſcopatum ſibi vſurparunt, adeoq; ſupra Coepiſcopos ſuos ſe exaltarunt, hocq; nomine Britanniam *infeſtarunt, fuiſſe anticatholicos & antiapoſtolicos.*

Thesis IIII.

OMnes veri Episcopi Romani solius Sanctæ Trinitatis adoratores, imperatoribus Ethnicis, Apostatis & hæreticis obedientiam exhibuerunt tám in rebus ciuilibus, quám in eis quæ ad Politiam Ecclesiæ pertinebant, iuramenta illis præstita ipsi seruabant, subditosq; Imperij illa seruare docebant, non propter metum, sed propter conscientiam, Papæ verò qui ab imperio Græcorum, circa initium septimi a Christo sæculi, defecerunt; simul á solius Sanctæ Trinitatis inuocatione ad creaturarum vetitam adorationem desciuerunt, contra fidem Deo in Baptismo præstitam, & B. *Petri* præceptum *Deum timete, Regem honorificate.*

Illatio.

Omnes igitur Pontifices qui ab initio circiter septimi a Christo sæculi vixerunt, sub imperatoribus Græcis eorumq; exarchis, tam in Deum quàm in imperatores legitimos suos Dominos perduelles fuerunt.

Thesis V.

PApæ qui sæculo Octauo sedem Romanam gubernarunt, quamuis Antichristianum Vniuersalis Episcopi Titulum a Phoca, *Bonifacio* 3. & successoribus eius concessum, vná cum adoratione religiosa creaturarum, vltra Sanctam Trinitatem retinuerunt, nihilominus *Carolo* Imperatori solius Trinitatis adoratori,

adoratori, (vt Diuino iure tenebantur) debitam obedientiam præstiterunt: Reliqui etiam Pontifices a *Caroli* Magni temporibus ad *Gregorium* 7. vsq; imperatoribus Occidentis subiecti fuerunt.

Illatio.

Hinc consequitur Gregorium 7. *qui cœpit in fine vndecimi a Christo sæculi*, *&* Alexandrum 3. *aliosq; eorum successores ad nostram vsq; ætatem*, *qui contra imperatores rebellarunt*, *verè perduellionis reos iure Diuino esse censendos.*

Thesis. VI.

POtestas animaduertendi in impios Reges, eosq; exauctorandi, aliosq; in eorum locum constituendi, & subditorum iuramenta dissoluendi, ad solum Deum pertinet, secundum Scripturas & Doctrinam Patrum Græcorum & Latinorum, qui per mille a Christo annos scripserunt, qui etiam impijs regibus persecutoribus Ecclesiæ in rebus ciuilibus obedientiam præstandam docuerunt.

Illatio.

Cardinalitij ergo Papæ, qui sibi potestatem exauctorandi Reges ad solum Deum pertinentem arrogarunt, sunt verè ἀντίθεοι, *siue hæc vox significet Dei aduersarium, siue hominem se Deo æquiparantem.*

Ioan. Gordonius, *Decanus Sarum.*



AD

ANONYMVM THEOLOGO-tonſorem *Ingolſtadienſem* Epigramma.

QVod non præfigis Mordaci nomina chartæ,
Indicat infauſtum nomen id eſſe tuum:
Nomina ſueta dari, quùm ſacrâ tingimur vndâ;
Noſq; Deo Trino nomina prima dicant;
Vtq; fides ſoli Triadi, ſic cultio ſoli
Debetur Trino relligioſa Deo:
Quiq; creaturam veneratur, iuſq; fidemq;
Baptiſmi infringit, pactaq; diâ Dei.
Mirum haud ſi retices, dederat quod lotio nomē,
Qui violas primam quam dedit illa fidem;
Ergo creaturas venerari deſine, ſcriptis
Nomina ne pudeat iungere vera tuis.